Britanniæ Lætantis EXULTATIO,

Ob FELICEM

GEORGII Regis Clariſſimi, in Britanniam Adventum,

EJUSDEMque

Splendidum in Londinum Introitum; Nec non Coronandi Euchariſticon.

EXhilarent alacres Britonum jam Gaudia vultus!
Fauſtas hinc ſemper Sextiles ſcribe Calendas;
Candidus his etenim Rex noſter cœperat Annos;
Auſpice quo Virgo, fueritque Britannia tuta,
Ut vigidè vivat, valeatque, Dracone perempto,
Bellicus ecce metus fugiat, Pax advolet alma:
Juſtitiæ Comites, aderunt Pax, Copia, Verum.
Hic etenim Patriæ Pater eſt, erit atque Patronus!
Huic ſacer Auguſtus, Menſiſve Georgius eſto;
Fauſtaque Regnanti Læti omnia dicite Pæan.

II. Septembris celebrent, Decimum bis ſæpe Britanni,
Splendidus intravit quo Rex clariſſimus Urbem:
Ecce Senes, Juvenes, læti, Nuptæque Puellæ,
Optatum celebrant Aditum, celeberrime Regum.
Vivat Rex, vivat, veniat, benè, vincat ut Hoſtes:
Nomine ut Auguſtus, claris Auguſtior Actis.
Rex venit Auguſtus, quo nos Pax Juſque reviſent;
Septimus ecce, Domos, Henricus junxit Amore;
Pacificus Gentes, at Hic unît arctior Omni;
Pacifer & Conſtans, Idem, Clemenſque Benignus,
Corda, Domos, Gentes, ejus ſibi gratia junxit.
Huic Pietas, Probitas, fallendo fallere neſcit.
Nec deerat Pompæ Phæbus, qui clarior Ipſo
Fulgebat, triplicans Sol lucem Lumine Solis.
Principibus, Populis lætis & ovantibus omni,
Unanimi plauſu, Regi Natoque, ſecundo.

III. Octobris celebris Vigeſimus eſto quotannis,
Aureus Obryzo decoret Diademate Regem,
Qui gerat Imperium placidus Moderamine juſto;
Longævus fuerit, ter fauſta Coronaque Finis;
Fauſtaque Principibus jam, Grande Io, dicite Pæan.

Chorus Britannicus.

Quid ſupereſt, Superis quin dat Brittannia Grates?
Sint Honor, atque Salus, Huic ſemper Mente precemur;
Fortis Rex noſter, Quem terrent Aſpera nulla.
Omnes, Euge, Alacres jam Læti, Io dicite Pæan.

Hæc quâ par eſt Reverentiâ, & Demiſſione,

Reverendiſſimis Cant. & Eborac. Archiepiſcopis,

D. Cowper Brit. Canc., Duci Somerſetenſi Equitum Magiſtro, Duci Salopienſi Reg. ſummo Camerario, Com. de Wharton *C. P. S.*, Co. Halifax primario Ærarii Rectori, Duci Argatholienſi Copiarum Bri. Bor. Præfectui, Duci Montis-Roſarum Regi à ſecret. Conſ., Duci Roxburgenſi Br. Bo. Can., Anandiæ Marchioni Bri. Bor. *C. P. S.*, Com. de Sunderland Hyberniæ Proregi, Co. de Berkeley, Reg. D. Cubiculario, Co. de Rothes, Com. Levinienſi, Co. de Stairs, Co. de Ilay Cu. Archiv:, Vice-Com. de Townſend Regi à ſecret. Conſ., Lond. & Sariſb. Epiſc. fideliſſimis, D. Stanhope Reg. à Secr. Conſ., Geſtis Dictiſq; Clariſſimo, D. Cadogan Reg. Veſt. Cu. & D. Ja. Moravio, Patriæ Parentibus inſignibus, Literarum Fautoribus benigniſſimis, omnibus denique veris Philo-Regibus-Legibus præſtantiſſimis D. D. C. que.

J. P.